

riam. Dignosci etiam potuit haud vero Presbyteros titulo isthic carere, quo Ecclesiasticæ leges omnes præditos exigunt. Enimvero cum alii tituli haud facile isthic suppetere valeant, tradita fuit potestas ordinandi ad titulum Missionis; absque enim titulo promoveri nemo valet ad sacros Ordines, eoque deficiente, suspensus eo ipso ordinatus intelligitur. Recolendum est insuper in facultate concedendi titulum Missionis requiri illud etiam, ut qui eo titulo instruat edere debeat promissionem cum iuramento inserviendi perpetuo Missionibus dioceseos. Nec demum est prætereundum inter decreta Concilii sexti Baltimorensis numero tertio peculiariter fuisse provisum quoad presbyteros qui regulare aliquod institutum ingredi velint, ut nimirum proprii Episcopi veniam assequi debeant: quumque decretum illud tertium probatum cum reliquis fuerit, diligenter erit servandum. Hactenus expositis regulis rite perpensis, atque in executionem deductis, facile Episcopi ea omnia poterunt componere, quæ ad suorum Ecclesiasticorum statum pertinent: referant vero si aliis regulis editis ulterius providendum videatur.

Hæc appendicis modo Amplitudini tuæ erant significanda post ea quæ circa nuperrimæ Synodi decreta paulo antea rescripsi.

Precor Deum, etc.

Datum Romæ, ex Ædibus S. C. de Propaganda Fide, die 23 Octobris 1852.

J. PH. CARD. FRANSONI, *Præf.*

AL. BARNABO, *a Secretis.*

ALTERA EPISTOLA

EM̃I PRÆFECTI S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE, UNA CUM LITTERIS APOSTOLICIS DE NOVARUM SEDIUM EPISCOPALIUM ERECTIONE, AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM MISSA.

ILLM̃E ET REVM̃E DOMINE,

QUOAD alteram Synodi Plenariæ partem responsio tradi antea haud potuit: necesse siquidem fuit documenta omnia Em̃is PP. exhibere, quæ hactenus super gravissimo negotio pervenerunt, omnibusque rite perpensis providere. Re tandem perfecta, quæ nuperrime statuta sunt Amplitudini Tuæ aperiã: siquidem delegatio Apostolica pro universo hoc negotio dudum tibi commissa fuerat. Actis ad examen revocatis, illud adnotandum occurrebat ut in iisdem Professio fidei juxta formulam a Pio IV propositam inseratur, quæ in futurum pariter ab omnibus emittenda erit, atque Actis similiter inserenda.

Ex adjectis vero Apostolicis litteris patebit SSm̃um Dñum Nostrum, ex voto S. Congregationis erectionem Sedium Episcopaliũ PORTLAND, BURLINGTON, BROOKLYN, NEWARK, ERIE, COVINGTON, QUINCY, S. FIDEI, NATCHITOCHEs decrevisse: insuper Sedem Archiepiscopalem constitutam in urbe S. FRANCISCI, cui suffraganea existat Ecclesia MONTEREGENSIS; demum Vicariatũ Apostolicum pro Peninsula superiori Status MICHIGAN constitutum.*

* Nova Sedes Episcopales, de quibus hic agitur, presbyteris infra memoratis collatæ sunt, nempe: *Portland*, Adm. Rev. D. Henrico B. Coskery; *Burlington*, Adm. Rev. D. Ludovico de Goesbriand; *Brooklyn*, Adm. Rev. D. Joanni Loughlin; *Newark*, Rev. D. Jacobo R. Bayley;

Haud visa est expedire erectio novæ Sedis Episcopalis pro Wilmingtone: placuit quoque differri erectionem Vicariatus Apostolici pro FLORIDA, atque erectionem Archiepiscopalis Sedis Bostoniensis.

Demum quod pertinet ad subsidia pro Episcopi sustentatione exhibenda, S. C. probavit quæ suggerbantur, nimirum pro nunc sufficere declarationem quoad Episcoporum jus in genere; quoad modum vero expectandas esse propositiones Conciliorum Provincialium.

Superest proinde ut Amplitudo Tua diligenter, prudenterque hæc omnia exequatur, prout cetera Delegati Apostolici pro gravissimo hoc negotio Plenariæ Synodi hactenus gessit.

Romæ, ex Ædibus S. C. de Propaganda Fide, die 12 Augusti 1853.

J. PH. CARD. FRANSONI, Præf.

AL. BARNABO, a Secretis.

Covington, Rev. P. Georgio Carrell, S. J.; Quincy, Adm. Rev. D. Josepho Melcher; Natchitoches, Adm. Rev. D. Augustino Martin.

Revmus D. Michael O'Connor, a Sede Pittsburgensi ad novam Episcopalem Sedem Erie; Revmus vero D. Jacobus O. Vandevelde a Sede Chicaginesi ad Natchetensem, suo rogatu, translati sunt. Rev. autem D. Josué M. Young Pittsburgensis Episcopus electus est.

Revmus D. Joannes Lamy designatus est Episcopus S. Fidei, cujus prius erat Vicarius Apostolicus.

Revmus D. Joseph S. Alemany ad novam Sedem Archiepiscopalem S. Francisci, in California, translatus est ab Episcopali Sede Montisregis, quæ Rev. Thadæo Amat C. M. tributa est.

Demum Vicariatus Apostolico Peninsulæ Superioris Status Michigan præfectus est Adm. Rev. D. Fredericus Baraga.



INDEX ET ORDO RERUM.

BREVE Apostolicum quo Archiepiscopus Baltimõrensis Concilii præses constituitur	3
Litteræ indictionis	5
Acta Concilii	7
Decreta Concilii	43
Epistola Patrum ad Summum Pontificem	53
Decretum pro synodi confirmatione	56
Decretum quo prorogatur facultas adultos eadem ac parvulos forma baptizandi	57
Indultum de sacris ordinibus titulo missionis conferendis	58
Indultum de instituenda sodalitate precum pro conversione acatholicorum	59
Epistola Emi Præfecti Congreg. de Propag. Fide, de episcopis per subsidia ex propriis diœcesibus juvandis, et de presbyteris Ordines regulares ingredientibus	61
Altera ejusdem Epistola de novarum Sedium Episcopaliū erectione	63